



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

III. De diuisione & numero diuinorum Attributorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

QVÆSTIO III.

De diuisione, & numero diuinorum
Attributorum.

IDEO à pluribus, non sine recte methodi specie, post statutam obiectiuam Attributorum Dei ab eius metaphysica Essentia rationis distinctionem, ac proinde metaphysica existentie Attributorum, seu proprietatum metaphysicarum Dei veritate statuta, an hæc ab Essentia plusquam ratione, siue independentem à nostro concipiendi, & præcendendi modo, siue realiter, siue ex natura rei, siue virtualiter differant: disputari, sed enim cum distinctio eorum ab essentia obiectiua per rationem, & pure metaphysica distinctio, ut verè esse Attributa constet, sit sufficiens, ut vidimus: atque de obiectis Scientiarum, si plura, ut in præsentiarum, sint, semel examinari, an sint? quor sint examinare, & mos Doctorum scribentium sit, & oportet: idcirco hanc illis quaestionem, merito præmittimus.

CERTAMEN VNICVM.

Attributorum diuisiones recensentur.

1 Multariam Attributa Dei diuidi possunt, pro acceptionum nominis Attributi diuini varietate, quas attulimus, præfatione disputationis huius n. 1. sed, ut in Attributorum diuisione de nomine non disputetur, in sola acceptione strictissima, atque Theologis vltimissima Attributorum Dei, quam ibidem statuimus, atque posuimus questionum omnium disputationis huius subiectum fore: diuisiones Attributorum à Theologis communiter acceptas commemorabimus: Attributorum nempe Dei, quæ prædicata necessaria, & communia Dei sint, eius Essentiam metaphysicam indiuidue metaphysice, etiam consequentia, atque vbiuis personarum illam comitantia.

2 Prima ergo Attributorum Dei in ea acceptione, celeberrimè diuisio est in Attributa Negatiua, & Positiua: non quidem, quia in Deo verum aliquod prædicatum negatiuum, seu negatio sit, sed quia licet omnia positiua verè in illo sint, à nobis tamen, vel negatiuis nominibus recensentur, vel tandem per negationes, dum ea definimus, explicantur: Positiua vero ea Attributa dicuntur, quæ neque nomine negatiuo censentur, neque in sui definitione, & explicatione negationem concernunt. Negatiuorum exemplum est *Immensitas*: Positiuorum, *Voluntas*. Et Negatiuorum quidem iuxta eorum datam nuper definitionem diuisio prima erit in Attributa, quorum nomen ipsum negatiuum est, ut exempli dat, *Immensitatis*, & in Negatiua, non quidem nomine ipso, quo censentur, sed definitione, quæ à nobis explicantur, ut *Eternitas*: cuius nomen, licet non negatiuum, sed positiuum sit, tamen siue negatione principij & finis durandi, seu durationis concipi, aut explicari à nobis, quaquam potest.

3 Et sanè Attributa Negatiua non nomine tria, ut summum sunt *Eternitas*, ut vidimus, *Simplicitas*, quæ physice compositionis negatione à nobis explicantur, & si placet, *Unitas*. Attributa vero Negatiua nomine plura sunt: *Immensitas*, *Inuisibilitas*, in qua duo continentur, nimirum *Inuisibilitas* oculis corporeis, & quæ absoluta *Inuisibilitas* est, ut hic suo loco videbimus; & *Inuisibilitas* oculis animæ, quæ absoluta non est, sed Naturæ viribus, ut controuersi de Visione Dei ostendimus. Theologicarum Scholasticarum controuersiarum, Deo fauente eudendo; insuper absoluta Dei incomprehensibilitas: ac demum *Infinitas*, de qua questio hic suo loco erit, an sit Attributum ab aliis positiuis præcendibile metaphysice ex parte obiecti: sicut de Negatiuis hisce plerisque, atque adeo commune logicè? an impræcendibile, vel

potius Attributa omnia eadem infinitate metaphysica Essentia, seu entis à se infinita metaphysice adiectiue, ac denominatiue sint, ut explicatus suo loco traditur: vbi constabit, an verè Attributum sit, an conceptui Essentia metaphysice etiam identificentur, sed tamen infinitatem, sicut & plura alia, è Theologorum viù potius, quam ex propria sententia inter Attributa numeramus.

4 Attributa Positiua diuidenda in primis sunt in Attributa quali vniuersalia, quæ nimirum Essentiam Dei metaphysicam, seu ens à se consequuntur, quatenus cum creatis entibus, & si non vniocè, analogice tamen conuenit in ratione entis, ac proinde analogice, & ea Dei Attributa cum Attributis etiam metaphysicis entium omnium creatorum, quæ entia sunt, conueniunt: ac proinde in vulgari illa Logice, & Metaphysice dictione *Rebus* continentur: in his numeranda proinde sunt Bonitas, Veritas, atque Veritas etiam diuina, quasi vniuersalis. Aliud vero Attributorum Positiuorum membrum sunt Attributa Positiua, quæ Essentiam Dei metaphysicam, seu ens à se, etiam quatenus à se est, metaphysice consequuntur, in quibus numeranda sunt Veritas specialis Logica, siue Singularitas Dei, quæ ita vnus indiuidue, & singularis Deus est, ut repugnet esse plures, siue alios ab ipso hoc singulari Deo. Deinde Intellectus, seu potentia intellectiua diuina (quam verè dari in Deo ostendimus controuersi, de Scientia, quæ erit hoc romo secunda: item Voluntas, in super Omnipotentia, & Amor seu Volitio Dei necessaria, ac demum Omnipotentia.

5 Denique celebris illa diuisio est, quæ Dei Attributa in transcendentia, & non transcendentia reliqua Dei prædicata diuiduntur, eaque admissa per illam Attributorum Dei diuisio inchoanda in recta diuidendi methodo foret: cum transcendentia Attributa aliqua, tam in Negatiuis, quam in Positiuis ab aliis, & aliis Doctoribus inueniantur. Cum autem an sint Attributa aliqua transcendentia in diuinis ex accurata cuiusque notitia pendat, ut diximus, hæc diuisionem hanc cum fundamento, siue probare, siue reprobare non possumus. Quod si ex disputationibus Attributorum in particulari, transcendentia, aliquot Attributa, tam in Positiuis, quam in Negatiuis inueniantur, diuisione hac Attributorum in transcendentia, & non transcendentia eorum diuisiones inchoanda erunt, in recte methodi obseruantiam. Scelus si in verisque non inueniantur transcendentia Attributa, vel quia nulla sint, vel in Positiuis, aut in Negatiuis tantum.

QVÆSTIO IV.

An diuina Attributa ab Essentia, & inter se formaliter ex natura rei, nec solum formaliter obiectiue per rationem, diuidantur.

AME TSI distinctio metaphysica obiectiua per rationem prædicatorum Dei facta sit, ut eius Essentia metaphysica, ac metaphysice huius proprietates verè constant, atque hæc diuidantur, ac numerentur. Videndum tamen nunc est, an aliunde Attributorum, & ab Essentia, & inter sese distinctio, plusquam rationis & metaphysica, omninoque à nostra ratione, & cognitione independentem, sit admittenda? an potius omnis inter hæc distinctio, quæ rationis non sit, omnino sit relegendæ? quo circa cum tres sint hæc distinctioes, nimirum Realis pure realis, quæ est inter rem, & rem (v.g. inter Petrum, & Paulum, vel, quod idem ad præsens est, inter rem, & modum ipsius realem; ut inter Agens, eiusque Actionem, seu inter extrema, & eorum vnionem) Realis formalis, seu ex natura rei, quam Scoticum vocamus, Realis virtualis, (quæ frequens nunc in Scholis est) triplex videbatur questio in præfati instituenda, an Essentia ab Attributis, atque hæc inter sese reali absolute distinctio: an reali formali & ex natura rei? an saltem reali virtuali